



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 48. Archiepiscopus a Papa anathemate percussus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

## §. XLVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1583.*Archiepiscopus a Papa anathemate  
perculsus.*Thuan. l. 78.  
Spond. n. 6.

**H**oc fatali nuntio Pontifex summo-  
pere afflictus die prima Aprilis an-  
no post Christum natum millesimo quin-  
gentesimo octogesimo tertio Purpura-  
torum Senatum convocat, ac Truch-  
sesium utpote Sectarium publicum, &  
innumeris prope criminibus contami-  
natum, & perjurum, Ecclesiæque Ro-  
manæ perduellem, & a Communione  
Christiana separatum, tanquam putri-  
dum membrum ab ejus unione ampu-  
tat: insuper ei jus omne, quod in Co-  
loniensi Archiepiscopatu obtinebat, ade-  
mit, eademque auctoritate Capituli  
Sodales, ac reliquos subditos sacra-  
mento solvit, eisque mandavit, ut sta-  
tim, cum primum istius sententiæ no-  
titia ad eos pervenerit, alium idoneum  
in Gebhardi jure, & facto Archiepi-  
scopatu privati locum ritu, & more so-  
lito eligant, eique hujus Ecclesiæ pos-  
sessionem vendicent.

Equidem Protestantes Principes per-  
cepto hoc diplomate Cæsarem roga-  
bant, ut illius promulgationem præ-  
pediret: verum hic Princeps responde-  
bat, quod ratam habeat Pontificis sen-  
tentiam, cum ea non Electoralem di-

*Hist. Ecclesiast. Tom. I.,*      G      gnita-

Sæcul. XVI.  
A. C. 1583

gnitatem, sed ecclesiasticum Archiepiscopi munus spectaret, hujusque rei cognitio juxta Imperii constitutiones ad summum Pontificem pertineret: verum ad hoc Cæsaris responsum Saxo, & Brandenburgicus Electores datis ad illum literis hæc exponebant: „Nihil „Imperio magis injuriosum, ac Cæsaris suæ Majestati minus decorum au- „diri potest, quam quod Pontifex ignaro „Cæsare, haud consultis tam Ecclesiasticis, quam ceteris Septemviris, pro „sua libidine Archiepiscopum, ac Septemvirum non prius auditum loco, „ac dignitate summoveat, novumque „creet; non equidem ignoramus antiqua Nationis Germanicæ concordata „cum Sede Romana: verum post Augustanam pacificationem circa Religionis dissidia in vitam mutata est rerum „facies, (\*) proin rogamus Cæsaream „Maje-

---

(\*) Lector ipsum Thuanum, & Spondanum, quos solos Continuator allegat, consulere non gravetur, & plane deprehendet, quod hic ex suo cerebro hoc responsum potissima ex parte procuderit, prorsus inepte gloriatus, quod allegatam Cæsaris rationem citata Augustana pacificatione refellisse crederetur, cum tamen Imperator non modo hæc pacta cum Romana Sede, sed præprimis Imperii

„Majestatem, ut electionem differri ju-  
 „beat, comitia vero indicere velit, in  
 „quibus Gebhardus in superhabito Pon-  
 „tificis interdicto tanquam Archiepi-  
 „scopus, atque Elector agnoscat, &  
 „audiaturque: „verum horum preces  
 in irritum cecidere; quippe die vige-  
 sima secunda Maji, quæ proximæ ele-  
 ctioni erat præstituta, Imperii Princi-  
 pes, & Canonici convenerant.

## §. XLIX.

*Ernestus Bavaricæ Dux in Archiepi-  
 scopum electus.*

**H**isce comitiis Joannes Franciscus *Spond. n. 6.*  
 Vercellensis Episcopus, qui Pon-  
 tificis diploma promulgaverat, intererat  
 vices acturus Cardinalis Austriaci, qui  
 adesse præpediebatur. Postea, ne tu-  
 multus fieret, milites suo ordine di-  
 stribuebantur, celebratoque incruento  
 Missæ Sacrificio, peractisque de more  
 precibus Ernestus de Bavaria antea  
 Frisingensis, Hildesheimensis, & Leo-  
 diensis Episcopus in Coloniensem Ar-  
 chiepi-

G 2

perii Constitutiones objecerit, quæ sane per  
 pacificationem Augustanam non potuerunt  
 immutari, integræ autem Nationis concor-  
 data a nonnullis duntaxat infringi, non  
 via juris docet, sed duntaxat violentiæ, me-  
 tusque immanitas extorquet.

Sæcul. XVI.  
 A C 1553.